



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Distinct. XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

COACTIO EXCLVDIT CONSENSVM
coniualem.

DISTINCT. XXIX.

Gratia tri-
buit Hor-
mis de, 31. q.
2. c. de neptis.

31. q. 2. cap.
S. verum.

Oportet autem cōsensum coniugalem liberum
esse à coactione. Coactus n. consensus, qui ne-
cōsensus appellari debet, cōiugium non faceret
sicut testatur Urban. Pap. scribens Sanctio regi Ar-
ragonum in hæc verba. De neptis tuæ coniugio
quam te cuidam militi daturum necessitatis in-
stante articulo sub fidei pollicitatione confirma-
sti, hoc æquitate dictante decreuimus: vt si illa vi-
rum illum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadem
voluntate persistit, vt viro illi se prorsus denega-
nupturam: nequaquam eam inuitam ac reniten-
tē eiusdem viri cogas coniugio copulari. Idem, S.
verū esse constiterit, q̄ nobis legati Iordanis prin-
cipis retulerunt, sc. quod ipse coactus & dolens fi-
liam suam sicut & pro virib. renitentem, Raynald-
o desponsauerit: quoniā legum, & canonum au-
ctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus
leges & canones nimis durum videatur, ita
sententiā temperamus, vt si princeps cum assensu
filix, id q̄ ceptum est perficere voluerit, conceda-
mus. Sin a legatus noster vtrasq; partes audiat: &
si nihil fuerit ex parte Raynaldi, quod amplius im-
pediat, ab ipso Iordane sacramentum, quo con-
sent hęc, quę dicta sunt accipiat. Et nos canonum
& legum scripta sequentes, deinceps non prohibe-
bimus, quin alij viro si voluerit, prædicta eius filia
tantum in Domino nubat. Ex his apparet, coniu-
gium fieri inter consentientes & spontaneos, non
inter renitentes & inuitos. Veruntamen qui inui-
ti & coactē coniuncti sunt, si postea ab aliquo tem-
pore sine contradictione & quarimonia cohabi-
tauerint facultate discedendi vel reclamandi ha-
bita, consentire videntur, & consensus ille conse-
quens supplet, quod præcedens coactio tulerat.

In libro Pandectarum.

B

Consentire autem probatur, qui euidenter non contradicit: secundum illud. In sponsalibus eorum consensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen patri filia consentire, nisi euidenter dissentiat. Item, Sponsalia, sicut nuptia, consensu sunt contrahentium. Et ideo sicut in nuptiis, ita & in sponsalibus patris familias filiam consentire oportet: quæ si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.

Lib. 23. digestorum, tit. pri. de sponsalibus lege 7. Eodem tit. leg. 11.

DE ERRORE QUI EVACUAT CONSENSVM.

DISTINCT. XXX.

A

Nec solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, quando hic putatur esse homo ille, & est alius. Error fortunæ, quando putatur esse diues, qui pauper est, vel è conuerso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui seruus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ & qualitatis, coniugii consensum non excludit: Error vero conditionis conjugalem consensum euacuat, de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ consensum conjugalem non admittit: ut si quis fœminam nobilem in coniugium petat, & pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium, quia non consensit vir in istam, sed in aliam. Ut si quis promitteret mihi se venditurum aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet, nunquid dicerer consensisse in aurichalcum? nunquam volui emere aurichalcum: nec ergo in illud consensit: quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiæ excludit consensum, ita & in coniugio error personæ. Sed obiicitur

Grat. hæc omnia habet 29. q. 1.

Gen 29. d.

Hhh 4

tur